

relegisse. Longior quidem in enarrandis his esse poteram.  
Sed sexcenties dicta repetere, quid iuuat?

His igitur praemissis ad alterum senatusconsulti membrum progredimur, in quo de poena feminae, consentiente, vel certe non obnunciant domino, seruili amore aestuantis exponitur. **CVIACIVM** scilicet supra iam monuimus censere mulierem hoc modo sese prostatentem libertam factam esse. **ARNALDVM** autem negare. Hic vero qua ratione innixus negauerit iam videamus, paucis subiuncturi, quid nobis hac in re dubii haereat.

Est vero argumenti illius, quo nescio an reperiri potuisset vel subtilius, vel speciosius ullum, haec fere praeципua vis: *Verum esse non posse, eam, quae consentiente domino seruo esus sese coniunxerat, seruam libertam fieri, quia obdamnum, quod domini percipiebant, dum servorum opera, mulierularum moribus inservientium, carere debebant, tam seuere in istas mulieres animaduertendum Senatus censuerat: volenti autem non fieri iniuriam, adeoque ipsum sibi dominum, qui consensum praebuerat, hoc imputare debere.* Dignum sane argumentum ingenio & doctrina summorum **GOTTHOFREDI & ARNALDI** in iure nostro nominum! Sed cum nec ab optimo quoque errare sit alienum, illi quoque, artifices quamlibet in arte sua plane egregii,

*Huic uni forsan potuere occumbere culpae,*  
certe dubitationi, non plane a veri specie alienae, locum concedere. Ea enim a remotissimo inde tempore fuit Romanorum in tuendis bonis mulierum moribus cura, ea sollicitudo & paene anxietas in conseruanda pudicitia, ut omnino viderentur imis animi recessibus infixum habuisse, sapientissimum illud Philosophi effatum, quod

B

hone-